Ludovicus de Bils ... omnibus verae anatomes studiosis / [Lodewijk de Bils].

Contributors

Bils, Lodewijk de, 1624-1670.

Publication/Creation

Roterodami : Apud Joannem Naeranum, 1660.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/gpppk8bp

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

LUDOVICUS DE BILS

A

COPPENSDAMME,

Omnibus veræ

ANATOMES

Studiosis.

ROTERODAMI

Apud JOANNEM NÆRANUM, Bibliopolam.

clɔ Iɔ c LX.

LUDOVICUS DE HILS

A

GERENSDAMME,

Omnibus veræ

ANATOMES

Studiosis.

ROTERODAMI

Apud Joannem Naranum, Bibliopolam.

clɔ Iɔ c Lx.

Omnibus veræ Anatomes Studiosis.

Unqnam equidem credidissem, hoc tam nasuto, tam artium divite omniumque scientiarum fæcundo seculo, nonnullos malevolorum maleque feriatorum hominum instinctu, usque adeo suo cum dispendio transversos agi, uti in rebus momenti maximi aliorum potius, lucro scilicet inhiantium, invidis affectibus obsequantur, quam aut proprio judicio fidant, aut oculis credant. Cæterum quotidiana experientia certiorem me facit, tum meo privatim, tum publico mortalium damno, verum nimis esse quod dixi.

Anni aliquot sunt elapsi, ex quo viri quam plurimi, non infimi sanè sub sellij petierunt a me, imo obnixe rogarunt, uti quæ in novâ nec prius visâ vel auditâ dissecandi arte, cognita mihi forent & perspecta, publico tandem bono in lucem emitterem: jamque octavus, ni fallor, est mensis cum eundem in finem, quo & animo meo & quibuscunque discendi cupidis satisfacerem, rerum mearum sedem huc transtuli: a Nob. amplissimisque urbis Roterodamensis Rectoribus, benevolentia non vulgari, ædibus mihi assignatis (aula dicitur Anglicana) in quibus, Deo juvante, consummatæ anatomiæ institutum promovere quotidie pergam. Verum enim vero mirari licet multorum ardorem refriguisse potius quam intepuisse. Cogitabam continuo mecum, vitio humani ingenij ea nos avidè cupere, quæ assequi posse desperamus, rursus quæ obvia sunt aspernari; in quâ fatali labe acquiescebam. Sed cum non ita pridem ad aures meas pervenerit, in me potissimum mihique addictos hanc fabam cudi ab iis, qui è suggillatione meæ famæ, nomen ipsi aucupantur & commodum: statui actutum studiosos quoslibet, doctos pariter & indoctos publica voce invitare ad anatomicas demonstrationes, in quibus domi meæ, quotidianam deinceps operam ponam. Quisquis huc venerit, suâque me præsentiâ cohonestare dignabitur, illi gratis nulloque expenso ita plene satisfaciam, uti simile quid (absit invidia verbo) a nemine possit expectare. Exhibebo ad vivum in cane venas lacteas & vasa lymphatica à magnis glandulis deorsum ad inguina usque, sursum ad venas jugulares in tortuosum receptaculum, (cujus mentio fit in ductu rorifero à me edito) cum omnibus provehentibus ambientibusque aquarijs tubulis, multo dilucidius quam ante hac scripsi. Ostendam sole meridiano clarius (nisi quis instar talpæ cæcutiat) quidquid hactenus ab antiquis vel recentioribus tradi-

ditum est, scriptove consignatum quoad functiones nostras naturales, nullo niti fundamento aut judicio, sed palam esse falsum, merumque commentum Magistrorum, qui vix per transennam intelligunt aut vident, unde naturam auspicentur, quâ viâ eam ducant, & in quo tandem desinant. Pari facilitate faciam ut intelligant, hodiernæ medicinæ praxin plane rationis expertem esse, periculosæ aleæ plenam, denique erectis ingeniis (quibus candor & probitas auro potior est) non ferendam; saltem de quâ amplius deliberandum censeas. Evincam hoc itinere & invento veræ operationis omnis humiditatis fermentationisque in corpore, perveniri posse ad certum & mathematicum usum medendi, cum mihi earum mutationes de glandula in glandulam prosequi in proclivi sit. Breviter manu palpabunt nemini in hunc diem originem cursumque vasorum lymphaticorum satis liquere, ductumque meum roriferum, contra quam sentiunt Viri magni *Kapetius*, *Hoornius*, *Bartholinus*, *Rubecius*, *Silvius*, vel quisquis fuerit, alium plane humorem continere, alium in finem destinatum quam ut in sanguinem verti possit, quin etiam nunquam ab illis visum esse quâ ratione in venas effundatur. Hoc libri eorum & tabulæ cum cane à me dissecto collatæ testabuntur. Accedant igitur, nec imaginariâ dignitate hominum, quales nos sumus, nec incuria præpediti, qui volent, quibusque est integrum horà non integrâ plura addiscere citra expensas, quam cum annorum nummorumque dispendio alibi unquam assequantur. Accedant inquam libere; cumque omnia, quæ in me recipio melius clariusque ex autopsia perceperint, quam verbis expressi, tum demum judicent quam veri sint rumusculi, qui Leidæ sparguntnr, hominem Suecum qui veterem anatomem cum suis erroribus vix à limine salutavit, os mihi obturasse atque ita confutasse ut me expedire nequiverim. Enimvero coram omnibus ipsos illius præceptores allucinationis convincam, tum me meaque tum eorum scripta quod attinet, neque adeo mihi suffenus sum, ut quidquam spondeam quod præstare non possim. En *Rhodus en Saltus*. Quid verbis opus est? spectemur agendo. Sic certe nemini ansam præbeo ut gratis odissem me velit, cum imposturam omnem procul habeam, & paratissimus semper sim ex æquo & bono pro salute publicâ, omnibus discere cupientibus inservire.

Vester

L. de Bils à Koppensdamme.